

QR 230

6

Ya  
1544

3

MEMORABILIVM

BIBLIOTHECAE. CHEMNICENSIS

PART. III.

EDIT. ET. SIMVL

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

D. III. NON. APRILIS

A. R. S. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> cclxx.

HORA. NONA. AVDITA. INSTITVENDVM

GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES


PATRONOS

FAVTORES. QVE. REL. LITTERARIAE. OMNES

SVMMA. ANIMI. VENERATIONE

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER  
RECTOR.



---

CHEMNICII

LITTERIS. IAHNIANIS.

(3.)





14 104

ACTVM VALLICTORIUM  
GRASSIKS DEHONAE TACTONIS

ACTVM VALLICTORIUM

GRASSIKS DEHONAE TACTONIS

ACTVM VALLICTORIUM

ACTVM VALLICTORIUM

ACTVM VALLICTORIUM

ACTVM VALLICTORIUM

ACTVM VALLICTORIUM







ace TVA, B. L. noster nunc prodit rarissimus  
FLORETUS, cuius descriptioem promissimus.  
Inscriptio illius his concepta est verbis:

Floretus in se continens sacre theologie et canonum  
flores ad gaudia paradisi finaliter eos (qui se in illos exer-  
citauerint) perducentes, in 4to plag. 14.

Inscriptioni illam iterum figuram ligno incisam vides subie-  
ctam, quae in fronte FACETI deprehenditur, S. BERNARDVM,  
vel alium mores docentem virum denotantem et in nostris Memo-  
rabil. descriptam. (a) Columnarum, vt vocant, titulus hic est:  
*Liber Floretus S. Bernardi.* In calce vero legimus ita: *Explicit liber  
Floretus Sancti Bernardi.* Nullibi quidem typographus, locus, vel  
annus impressionis indicatur: character tamen typorum et praefixa  
figura luculenter testantur, hunc librum produisse Coloniae e typo-  
graphia *Henrici Quentell.* Omnium igitur huius libri haec nostra  
prima editio est, circa a. 1490--1492. expressa FABRICIOQVE in-  
cognita. Sic enim ille scribit (b): Post editiones *Lugd.* 1494. Co-  
loniae, 1501. 4. apud Henr. Quenrell, cum glossis inter auctores octo  
morales Coloniae, 1520. 4. prodiit. Et aliam adhuc editionem, quam  
iterum nesciuit FABRICIVS, celeberrimus POLYCARPVS LEY-  
SERVS adduxit, (c) sub hoc titulo: Liber, nomine Floretus, a San-  
cto BERNARDO Clareuallis abbate, metrice accumulatus, cum  
Commento M. IOANNIS GERSONIS, tractans de virtutibus,

C 2

secun-

(a) P. I. Chemn. 1769. 4.

(b) In Bibl. Lat. med. et infimae aetat. Lib. II, p. 624. Hamb. 1734. 8.

(c) Ex I. ANGELI MANRIQVEZ Annal. Cisterc. Tomo II, ad A.  
1153. e. 10. in Historia Poetarum medji aevi Halae, 1741. 8. p. 420.



secundum praecepta Dei et ecclesiae, ad fugam peccatorum et electionem illorum operum, quae hominem perducunt ad Deum. Lugduni, apud *Ioan. Morion* impressus 1520. in fol. Nunc audiamus de hoc libro Commentatoris, quem praecedens titulus M. IO. GERSONEM nominat,

Prohemium Floreti sancti bernardi. (d)

Ego flos campi Canticorum secundo. flores (vt dicit ysidorus libro XVIII.) dicuntur quasi fluores per etimologiam. eo quod cito defluunt et soluuntur. In his multiplex est differentia. scilicet odoris. saporis. lenitatis. et virtutis. Nam odore recreant et delectant spiritum. sapes immutant gustum. colore *alliciant* (e) visum: lenitate demulcent tactum. virtute vero sua morbos sanant multiplices: zephiro generantur. austero dissoluuntur. arbores et herbas campos ortos (*hortos*) siluas pulchritudine sua decorant et ornant. dulcedinem quam concipiunt ex celesti rore mel administrant. Et sicut dicit Plinius L. XX. c. 5. (f) Intempestius ortus floris signum est defectus et carentie fructus ulterius consequentis. Enim inter flores sunt duo generales. scilicet flos domesticus et flos siluestris siue flos campi. Flos domesticus est qui per se non crescit, sed mediante hominis industria et labore. Flos campi est specialis sic dictus flos. qui per se crescit in locis incultis nec sulcatis vomere. nec stercore impinguatis. vt dicit idem. Enim omnia que dicta sunt de floribus et eorum proprietatibus. ob id dicta sunt vt aduertant auditores libri (qui floretus denominatur) quod quantum flos delectat pre ceteris, qui sensui placent. tantum ipse floretus cunctos ceteros auctores antecellit. Et sicut flos

(d) Eadem, vt in libro nostro eam deprehendimus, orthographia hoc prooemium typis imprimi curauit.

(e) Rectius: *allicunt*.

(f) Nullibi in PLINIO haec et sequentia verba studiose quaesita reperire potui.



flos quodammodo est quoddam medium inter ipsam arborem et fructus. ita pariformiter hic liber potest dici quoddam medium inter nos arbori comparatos et ipsas virtutes fructui comparatas. Ad cuius quidem libri dei auxilio fulti ad aliqualem (licet duntaxat literalem) declarationem procedere intendimus. Floretus igitur a flore per quandam comparisonem (vt prius paruit) nomen accipit. non tamen absurde. cum ea videatur auctoribus potestas tributa secundum Gratium (Horatium) in de arte (g) dicentem. *Pictoribus atque Poetis cuiuslibet audiendi semper fuit equa potestas.* Insuper floretus vere dicitur eo quod flores sacre theologie atque factorum canonum non minus vtiliter quam breuiter continere videtur. In principio cuius (vt in aliis libris) sex quaeruntur. scilicet causa efficiens. finalis. formalis. et materialis. quis titulus. et cui parti philosophie supponatur. Causa igitur *efficiens*, vt *communiter* (h) *dicitur*. fuit sanctus BERNARDVS abbas monasterii clareuallis. qui postquam quendam fratrem suum conatus est retrahere seculo medio cuiusdam libri ad eum missi. quem quidem librum contemptum mundi nominauit. hunc librum composuit. tam ipsi suo fratri quam aliis vtilem propter deum et charitatem. volendo hoc medio omni statui prodesse. nemini vero obesse. vt sic cuiuscunque predictus eius frater fuerit: doctrinam ab eo haberet ad bene beateque viuendum. et hac de causa sanctus Bernardus hunc librum composuit. quem propter causas prius dictas floretum nominauit. Causa vero *finalis* est. vt hoc libro lecto et memorie commendato. peccata vitare. bona opera agere. fidem rectam tenere. neminem ledere. vt tandem gaudia paradisi habere valeamus. Causa *formalis* large loquendo de causis est modus procedendi metricus. qui est ex versibus exametris. Nam talis modus procedendi est hoc nostro tempore inter poetas et auctores metricos valde et permaxime vsitatus. et hoc in omni genere dicen-

C 3

di.

(g) De Arte Poetica v. 9. 10. *Non cuiuslibet audiendi, sed lege Quidlibet audiendi.*

(h) Sed falso, vt ex infra dicendis apparebit.



di. Sed causa *materialis* siue materia huius libri, (quod idem est) sunt articuli fidei, decem precepta legis, septem peccata mortalia, virtutes illis oppositae, et similia de quibus in hoc libro tractatur. *Titulus* vero huius libri est iste: *Incipit floretus Bernardi clareuallis*. supponitur autem iste liber ethice et partim metaphisice scientie. Nam secundum quod in presenti libro tractatur de deo, de celis, et de aliis *corporibus* (i) celestibus, vt patet in fine huius. hic liber supponitur metaphisice scientie: Sed secundum quod in presenti tractatur de modo viuendi et de meritis hominum, supponitur ethice scientie. Ex quibus omnibus potest colligi definitio siue descriptio huius libri, qui floretus dicitur et est talis. Floretus est quidam liber metricus a sancto bernardo clareuallis editus, tractans de virtutibus et viciis secundum precepta dei et ecclesie, ad fuganda peccata et electionem illorum operum, que hominem perducent ad deum finaliter adiuuentus. Et dicitur floretus ab hoc nomine flos floris nam iste liber florem preceptorum dei et ecclesie continere dicitur. Quibus visis ad ipsam litteram accedamus.

In hoc adeoque prooemio GERSON et I. ANGELVS MANRIQUEZ (k) auctorem huius Floreti venditant S. BERNARDVM, id quod vero alii negant, et recte quidem, ni fallor, negant, propterea quod varii huius libri cōdices MSSi in diuersis bibliothecis Belgii hodie adhuc extant sine vllō addito auctoris nomine. (l) Deinde neque in praestantissima IOAN. GILLOTII, (m)

(i) Falso: Lege *corporibus*.

(k) In loco supra Not. c. citato.

(l) Teste ANTONIO SANDERO in Catalogis dictarum Bibliothecarum v. CAROLI de VISCH Bibliothec. Script. Ord. Cisterc. Colon. 1656. 4. p. 41.

(m) Quae ex Bibl. Viri S. R. D. GÜHLINGII ad manus mihi fuit: Auctior repetita illa est ad Parisiensem editionem Coloniae, 1620. in fol. a FABRICIO non adducta, adeoque rarissima.



neque in splendidissima, quam FABRICIVS recensuit, (n) IO. MABILLONII Operum S. BERNARDI editione deprehenditur hic Floretus, quem hi viri doctissimi non omisissent, si S. BERNARDI nomine dignum iudicassent. Nec vllum praeterea vestigium BERNARDI in titulo libri, neque in ipso libro reperies. Fuerunt potius, qui in ipso prooemio Flóreti pontificem CLEMENTEM auctorem se inuenisse putarunt et quidem his in verbis:

Suscipe corde bono flores hos, quos tibi dono  
Tollent languores, tribuent tibi semper honores  
Si bene dulcores florum retines et odores  
Summò cultore florum CLEMENTE datore.

His fauere videtur codex MSct. in bibliotheca regia Parisiis existens, in quo, teste PHILIPPO LABBEO, (o) Floretus a pontifice CLEMENTE compilatus esse dicitur. Sed dicitur. Ex verbis enim antea citatis et male intellectis probari non potest hoc dictum. Multi Clementes P. R. fuerunt. Quisnam ergo? Nullus. Non tandem ea ex causa BERNARDO adscribi potest, quia ex scriptis BERNARDI, vt VOSSIUS de Poetis Latinis p. 73. male suspicatur, excerptus esset. Hic iterum repugnat titulus, qui affirmat, hunc Floretum *continere sacrae theologiae et canonum flores*, et non S. BERNARDI, cum quo consentit etiam initium prooemii ita sonans:

Nomine Floretus liber incipit ad bona ceptus  
Semper erit tutus *cuius documenta* (p) secutus

Hic

(n) In Bibl. Lat. med. et infimae aetat. L. II. p. 606. quae prodijt Paris. 1719. fol. VI. Tom. in II. Voll.

(o) In noua Biblioth. MSS. Libror. Supplemento VIII. n. 1508.

(p) FABRICIVS l. c. p. 624. ita legit: *huius monumenta*, non recte, quia Floretum forsitan non vidit.



Hic liber extractus de pluribus est vocitatus  
 Recte Floretus. quia flos est inde receptus  
 Et breuiter textus flagrat virtute repletus  
 Collegi flores non omnes, sed meliores  
 Quos in virgultis domini (*et non S. Bernardi*) vidi bene cultis  
 Qui non marcescunt seruando dandoque crescunt.

Et sic neque CLEMENS P. R. neque BERNARDVS remanet auctor Floreti. Fuit forsitan monachus quidam doctus, nomine Bernardus, huius carminis versibus leoninis haud ineleganter, sed stilo non satis puro, et saepe contra quantitatem syllabarum conscripti auctor. Quando vero is vixerit nescimus. Versibus 1142. in sex capita diuisis constat et ea, quae in illis pertractantur, ipse auctor sub finem prooemii his docet verbis:

Dogma sacra fidei ponit *prius* ordo libelli  
 Postea praecepta ponuntur parte *secunda*  
*Tercia* pars vere monstrat peccata caueri  
 Inde docet *quarta* pars ecclesie sacramenta  
 Virtutes *quinta* mores notat et documenta  
 Concludit *sexta* de morte suaque sequela.

Caput primum ita incipit:

Credere debemus. qui Christi nomen habemus  
 Doctrinam Christi. quod nemo secus placet isti  
 Nec poterit fieri saluus. neq̄ sanctus haberi  
 Dicit enim Christus. ad celum mox rediturus  
 Qui baptisatus fuerit valet esse beatus  
 Si bene crediderit. aliter sine fine peribit  
 Ergo constanter credas ac indubitanter  
 Quae docet ecclesia romana petra soliditata,

Tunc



Tunc articuli fidei duodecim secundum duodecim Apostolos sequuntur:

Articuli fidei sunt bis sex corde tenendi  
 Quos Christi focii docuerunt pneumate pleni  
 Credo deum patrem *petrus* inquit cuncta createm  
*Andreas* dixit ego credo ihesum fore christum  
 Conceptum natum *iacobus*. passumque *iohannes*  
 Inferos *philippus* fregit, *thomasque* reuixit  
 Scandit *bartholomeus*, veniet censere *matheus*  
 Pneuma *minor iacobus*. *lymon* peccata remittit  
 Restituit *indas* carnem, vitamque *matthias*.

Commentum, siue scholia Floreto huic subiecta GERSONIS (q) partim rem explicant, partim constructionem verborum docent. Scripta sunt eodem stilo, vt scholia ad Facerum, (r) hinc veritati consentaneum viderur, vnum eundemque illa agnoscere auctorem. Et haec de Floreto, falso S. Bernardo, adscripto, ex quo nonnulla se hausisse et in Ethica sua vet. edidisse profiterur MICH. NEANDER in praefat. ad Eth. vet. P. II. p. 92. b. Edit. 1586. 8. Caue, Floretum hunc cum *Floribus* BERNARDI, aut rectius ex operibus Bernardi excerptis confundas. Sic enim habemus:

I. Flores, seu Libr. X. sententiarum ex operibus et scriptis BERNARDI, auctore anonymo, Coloniae per *Io. Koelhoff* de Lubeck 1400, (rectius 1482.) in fol. 150. folior. (s) Sub nomine BERNHARDINI s. flores ex operibus Bernardi prodierunt deinde Paris. 1499. Lugd. 1556. 8. Hunc auctorem

(q) Quem titulus Floreti Lugd. 1520. editi auctorem exhibet.

(r) In P. I. Memorab. Bibl. Chemn. recensitum.

(s) Quos copiose descripsit FRID. GOTTHILF FREYTAGIVS in Apparatu Litter. T. I. Lips. 1752. 8. p. 879.



ctorem anonymum fuisse WILLERMVM f. WILHELMVM, monachum S. Martini Tornacensem circa A. 1240. florentem, ex MABILLONIO (t) testatur VINCENTIVS PLACCIVS. (v)

2. MATTHAEI ANDEBERTI flores operum D. BERNARDI Libr. XI. Lugd. 1556. et in editione Operum Bernardi Antwerpiensi 1575. fol. repetitos. (x) Vtrum Andebertus de nouo Willermi ediderit flores, an vero ipse flores compilarit suos diiudicare nequeo.

3. D. BERNARDI flores ex omnibus eius operibus summo studio ac labore collectos *Huberto Scusciputaeo*, Canonico selectore editos, in Operibus Bernardi a *Io. Gillotio* Colon. 1620. in fol. editis p. 2075-2264. ordine alphabetico 246. capitibus conscriptos et FABRICIO et FREYTAGIO incognitos. Qua occasione etiam notamus, hunc SCVTEPVTAEVVM, Canon. regul. in monaster. Bethleemitano extra muros Louanienses Flores D. GREGORII, Papae cognom. *Magni* ex omnibus eius Opp. selectos in 143. capitibus edidisse, qui sunt in Opp. eius Parisiensis edit. 1586. fol. T. II. a p. 1546-1656.

4. IGNATII HVARTI *Bernhardum*, f. Flores ex Bernhardi operibus. Louanii 1651. 4. FABRICIVS l. c. p. 602.

5. Flores, seu sententias ex S. Bernhardi Operibus excerptas in editione *Io. Mabillonii* Parisi. 1619. 8. Vol. I, T. IV, p. 1571 - 1575. FABRICIVS l. c. p. 610.

Et haec de Floreto nostro sufficiant. Nominandi nunc sunt doctrinae nostrae quidam Alumni bonae indolis, pii atque diligentes specimina dexteritatis suae in arte dicendi edituri. Et quidem

I.) IO-

(t) Vid. illius Annal. T. I, p. 318. seq.

(v) In Theatro Anonymorum et Pseudonym. Hamb. 1708. fol. p. 82. Hinc minus recte scripsit FREYTAGIVS l. c. Hunc auctorem Anonymum ignoramus.

(x) FABRICIVS in Bibl. Lat. med. et inf. aetat. L. II, p. 619.



- I.) IOAN. GOTTLOB EHWALD, Chemn. Mifn. de mediocritate omnibus in rebus tenenda dicit *lat.*
- II.) IOAN. AVGVST VHLIGIVS, Chemn. Mifn. laudabit agriculturam *orat. teut.*
- III.) IOAN. GOTTHELF. GRAEFE, Tauchenfis, Mifn.  
 Viri plurimum reuerendi IO. GOTTHELF. GRAEFII, Pastoris ad D. Nicolai prope Chemnicium facundiffimi, noftraeque fcholae quondam diligentiffimi difcipuli, vnicus filius. Quem admodum doctiffimus parens omnem curam in bene educando fixit filio: Sic docilis filius omnem adhibuit diligentiam, vt prouidam voluntatem patris ftudiofe impleret fuamque propriam promoueret falutem. Ante omnia faecre coluit DEVM. Praelectionibus noftris per feptem annos follefter ftrenueque interfuit et auide, quae proponebantur, egregio cum fuo in ftudiis humanitatis emolumento arripuit. Nec minor ipfius erat diligentia in excolendis fruiffimis moribus, vt fuo probaret exemplo, artes fideliter didiciffe mores emollire, nec finire ferofe. Eximia cum laude publice ftetit pro roftris A. clo lccc lxxviii. de acquirenda et obtinenda bona fama dicens *latine*, et eodem anno die natali Sereniffimi Electoris Saxoniae, FRIDERICI AVGVSTI docuit *orat. lat.* Saxoniam noftram nulli cedere genti eruditionis gloria. Nunc vero de praemiis litterarum perorabit *gallice* et vltimum nobis acclamabit vale *carmine teutonico*.
- IV.) IOAN. CHRISTIAN. HÜBNER, Chemnic. Mifnic.  
 patrem agnofcit honeftum apud nos in suburbio ciuem IOANNEM FRIDERICVM HÜBNERVM. A teneris fere vnguiculis noftram per nouem annos ea, quae requiritur, diligentia frequentauit fcholam. Pro egregia, qua praeditus eft, ingenii indole ita profecit in litteris, quae ab humanitate nomen habent, elegantioribus, vt rite praeparatus ad altiora cum



QK Ya 1544

XXX

VD 18

fructu progredi queat. Quoniam vero sine DEO nihil vale-  
mus, illius cultu sanctissimo nihil prius antiquiusque sibi esse  
duxit. Bonis moribus tandem ita studuit perpetuo, ut sibi et  
fauorem et amorem praeceptorum commilitonumque merito  
conciliaret. Nec sibi defuit edendis speciminibus. Sic omni  
cum plausu A. cō 10 cc LXXIII. peroravit publice de superbia  
opprimenda *latine*, deinde eodem adhuc anno die natali Serenif-  
simi Electoris Saxoniae, FRIDERICI AVGVSTI demon-  
stravit *orat. graeca* Saxoniam nostram cum quouis Europae po-  
pulo ob saluberrimas leges et statuta de principatu contende-  
re posse. In praesenti de stolidis veterum quorundam votis di-  
cet *latine* et *carmine teutonico* valedicet. His suis commilitoni-  
bus bonae spei faustissima quaeuis precabitur *carm. teut.*

V.) IMMAN. GOTTLÖB AYRERVS, Neofan. Misn. praemissa  
*orat. gallica* de garrulitate.


VOS nunc INSPECTORES scholae nostrae GRAVISSIMI,  
et VOS OMNES, quos schola nostra veneratur, PATRONOS at-  
que FAVTORES humanissimis, quibus possum, precibus implo-  
ro, ut praesentia Vestra nobis gratissima exhilarare nostrosque di-  
cturos benevole audire velitis. Quam egregiam benevolentiam si  
non laudare staretis, tamen enarrare nullo tempore intermitteremus.  
Scribebam Chemnicij, d. 31. Mart. A. R. S. cō 10 cc LXX.



n.c.







QR 230 6.

Ya  
1544

3

MEMORABILIVM  
BIBLIOTHECAE. CHEMNICENSIS  
PART. III.  
EDIT. ET. SIMVL  
AD  
ACTVM. VALEDICTORIVM

D. III. NON. APRILIS

A. R. S. c15 Id CC LXX.

HORA. NONA. AVDITA. INSTITVENDVM

GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES


PATRONOS

FAVTORES. QVE. REI. LITTERARIAE. OMNES

SVMMA. ANIML. VENERATIONE

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER  
RECTOR.



CHEMNICII  
LITTERIS. IAHNIANIS.

(3.)

